



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. III. De necessitate gratiæ ad vitanda venialia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

filios procreandi gratia non habet culpam; quæ sententia est generalis, adeoque extensivè ad Infideles. Negat ergo illis virtutes hoc sensu, quasi meritivas vitæ æternæ, & ita loquitur contra Jul. c. 13. Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prosint homini virtutes, non sunt verè virtutes. Loquitur item Augustinus, quòd regulariter loquendo, nihil boni operentur infideles; quando autem dicit omnia infidelium opera esse peccata, loquitur de illis prout profectis, ex Infidelitate.

DIFFICULTAS III.

De necessitate Gratia ad vitanda venialia.

DICENDUM est: *Sine gratia speciali neminem posse in natura lapsa vitare omnia venialia.* Est articulus fidei, fundatur imprimis in Scriptura 1. Joan. 1. dicitur: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Trident. Sess. 6. can. 23. sic habet: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit, posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, Anathema sit.* Innuit etiam id Aug. qui agens lib. de Nat. & Grat. cap. 36. quomodo omnes homines peccent; neminem immunem facit, excepta, inquit, *S. Maria V. de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem.* Unde Suar. Gran. Tolet. & alii dicunt etiam Apostolos, confirmatos licet in gratia, venialiter peccasse. Idemque dicit de S. Joan. Bapt. Suar. & Gra. & post illos Arriaga de Justif. d. 51. & addit, quòd enim unus aut alter Doctor tribuerit huic aut illi Sancto, non sufficit ullo modo ad exceptionem à Regula. Cæterum S. Joanni immunitatem à veniali tribuit Galatinus, Catharinus, Abulen. Lorinus. Sed tribuinè poterit aliis? Respondet Oviedo, id ab omni fundamento esse alienum, & nullo modo audiendum. Vasq. tomo 2. in 3. p. d. 120. c. 5. docet, quòd asserere à lege hac ordinaria esse exceptos paucos aliquos, veluti Joannem Bapt. sit temerarium. Procedit autem Assertio de longo tempore: quia brevi aliquo tempore omnia, inquit, Ripal. d. 117. n. 11. & peccata omnino deliberata longo tempore caveri posse, plures Theologi admittunt. Accedit Ratio S. Thomæ adlata 1. 2dæ. q. 109. a. 8. quia ex una parte appetitus non est subiectus rationi plenè; ex alia parte mobilitas voluntatis, quæ se ad exercitium libertatis ab uno ad aliud transfert, occasiones item tot, juxta communem providentiam ostendunt, hæc omnia longo tempore vitari non posse.

Colligo hinc aliqua quæ de venialibus ad eruditionem sciri possunt. Durand. in 2. d. 28. q. 3. n. 8. docet, non quidem de peccatis venialibus

ex subreptione, sed deliberatè commissis, quòd per longum tempus cum effectu vitari possint. Suarii verba sunt l. 9. de Grat. c. 8. 25. non solum per totam vitam, verum etiam nec per notabilem ejus partem posse de aliquo sancto cum fundamento affirmari, recepisse donum carenti omni peccato veniali, etiam ex subreptione per longum tempus. Soto & Vega admittunt, deliberata venialia posse per unum vitari diem, quòd etiam non improbabile putat Suar. cit. n. 29. Quando autem dicitur Prov. 24. Septies in die cadit Justus, ad hoc dici solet: quòd particula in die non sit in Hebræo, nec in Græco; nec in Bibliis Sixti, & citatur hic locus ab Aug. l. 11. de Civ. c. 31. sine addito in die. Addit Suar. Justos quinec toto die, nec in aliqua ejus parte otiosi sunt, & in bonis operibus diligenter occupantur & frequenter per orationem ad Deum ascendunt, moraliter & cum minori difficultate, posse per diem integrum hæc vitare peccata.

OBJICITUR communiter. Assumiturque hic medius terminus. Quòd si possit justus aliquo tempore vitare omnia venialia, possit etiam omnia. Quem medium terminum ita sibi opponit Ripal. citatus supponitq; quamvis homo non possit determinare tempus secuti peccati, posse illud à Deo comprehendere, supponitq; v. g. hoc tempus esse tempus dierum 10. quòd supposito sic formatur Argumentum. Qui vitat divisivè unum peccatum post aliud, & singula peccata numeri denarii occurrentia, divisivè unum post aliud, vitat collectivè omnia: collectio enim omnium existit successione unius post aliud; nec aliter justus, etiam cum speciali privilegio vitare omnia; at justus potest moraliter vitare divisivè unum peccatum post aliud, seu singula peccata v. g. denarii occurrentia divisivè unum post aliud; quòd ipsum probatur quia post vitatum primum, potest moraliter vitare 2. & post 2. 3. non enim manet diminuta, aut defatigata virtus ad aliud, sed eodem profusus modo ac si primum non vitasset. Sicut sol æquè hodie ac cras potest illuminare: quia virtus illuminandi, absq; diminutione & defatigatione, eadem perseverat.

Hunc ipsum medium Terminum sic aliter proponit Oviedo citatus supponitque tres dies, & arguit; non minus est liber in 3. die, si vitet duobus prioribus peccaverit, si non; sed si in duobus prioribus peccasset, posset in 3. non peccare. Ergo etiam si non peccasset, idem poterit; quòd ultimò in hoc resolvitur, quia peccasse aut non peccasse tempore præcedenti, nihil conducit, vel non conducit ad peccandum nunc.

RESPONDET 1. Molina. In his eventibus liberis non esse necessarium tempus assignare determinatum, sed hoc vagè & indeterminatè esse sumendum. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia redit argumentum factum etiam in vagè sumpto tempore & indet-

indeterminato non diminuitur libertas: alias hoc ipso non peccaret. Ergo etiam si indeterminatè sumpto tempore potest non peccare: poterit etiam in sumpto vagè non peccare. Deinde quamvis nos homines, tempus id determinare non possimus, determinatè tamen illud noscit Deus: quod argumentum sic format Ripalda. Deus noscit quod homo primam horam transigere possit sine peccato; idem noscit de secunda, & sic de reliquis usque ad decem. Ergo noscit determinatè totam illam collectionem posse transigi sine peccato.

RESPONDET 2. Oviëdo. Hominem v. g. per triduum, vel quodecunq; aliud spatium, non posse vitare venialia; posse in quocunque alio minori: ex suppositione autem quod non peccaverit in omnibus instantibus præcedentibus ultimo, in ultimo necessario peccabit, liberè tamen: quia illa necessitas non est affixa illi ultimo instanti, sed omnibus vagè sumptis. Unde necessitas ex suppositione, quæ casu dato admittitur in instanti ultimo, est necessitas consequentiæ, & non consequentis: non enim non peccasse in præcedentibus, est formalis causa peccandi in ultimo; sed tantum non peccasse, aut peccaturum esse in omnibus, quæ ab hoc sive primo, sive ultimo, sive medio distinguuntur, signum est hominem in hoc, peccare, vel non peccare, nullo habito respectu ad priorem, vel posteriorem durationem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Ductum videtur dicere, quod si in antecedentibus non peccavit instantibus, ultimo instanti sit necessario peccaturus; quis enim unquam necessario peccat? Et quamvis illa necessitas, ut asseruntur, non sit affixa uni, sed omnibus vagè sumptis, antecedenter antequam veniatur ad ultimum instans, quæ antecedentia supponitur transacta sine peccato; tamen posita illa transactio, non vagè, sed determinatè illa necessitas competeret, ad eum modum, quo si eriat dexter oculus, necessitas videndi, devolvitur homini ad sinistram, quamvis antea vaga fuerit; quod ipsum sic aliter proponitur. Si non fuisset vaga necessitas, non fuisset per Oviëdo salva libertas. Ergo cum pro determinato ultimo instanti, non sit vaga necessitas, tollitur pro illo instanti libertas. Tum quia. Ipsa ratio vagi non potest salvare libertatem, qualis ordinariè in viatoribus admittitur: si enim essent æqualia duo venialia, sed vaga necessitas, alterum admittendi, non salvaretur libertas. Tum quia. Conc. quod non peccasse in antecedentibus instantibus, non sit ratio formalis peccandi: quia hæc pendet ab usu vitalis potentia, quem non infert negatio peccati antecedens. Sed restat querere. Cur impotentia illa vitandi venialia, ex vi suæ præcisæ, non auferet libertatem in illo instanti, in quo peccari deberet; redibitque difficultas, etiam concessa

so, quod illa necessitas sit consequentiæ non consequentis, cur non auferat libertatem ex titulo necessitatis. Quod ipsum in hoc fundatur. Omnis necessitas, quæ posita, non potest oppositum fieri, & quam auferre non est in mea potestate, aufert libertatem. Talis autem est dicta necessitas: quia nec oritur ex suppositione aliqua actionis meæ, nec est in mea potestate dare mihi illam gratiam, & tamen si illam non habeam, non possum non peccare venialiter.

RESPONDET 3. Ripalda. Impotentiam vitandi venialia omnia, esse impotentiam moralem, non physicam, quod etiam docuit Vega, Lorca, Suar. *Circa quod*

DOCEBAT 1. Impotentiam moralem vitandi venialia conjunctam potentia physica non esse aliud, quam difficultatem vitandi superabilem viribus voluntatis, nunquam tamen re ipsa superandam, quæ impotentia includit duo: alterum antecedens. Nempe difficultatem immunitatis; alterum consequens, stans in eventu conditionato, quo Deus certus sit, nunquam voluntatem sic aut sic præventam, immunem à peccato servandam. Ex vi hujus dogmatis, salvat per hoc libertatem: quia illa impotentia moralis, stans cum potentia physica simpliciter, constituitur eventui consequenti voluntatis: Nam difficultas illa antecedens per ipsum, non est impotentia moralis.

DOCEBAT 2. Quod explicata impotentia non antecedit singulos actus peccati, sed totam collectionem v. g. decem dierum. Coalescit enim in actu i. ex partialibus difficultatibus; ita ut voluntas ex suppositione antecedenti, eodem modo compareretur difficilis ad peccatum decimum post vitata 9: quasi aliquod eorum non vitasset; licet de suppositione consequenti alia res sit.

DOCEBAT 3. Eventus conditionatus consequens talem difficultatem, eodem modo reddit moraliter impossibilem defectum primi peccati, quo decimi: nam defectus decimi, non est moraliter impossibilis ex sola suppositione antecedenti difficultatis, quæ est ad vitandum decimum sed etiam ex suppositione consequenti, quod 9: vitata sunt. Ex quibus eruit hanc responsionem, quod homo post vitatum primum peccatum possit vitare secundum; si reliqua præter secundum, re ipsa vitanda sint, non verò si non sint vitanda. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT 1. Quoad primum dogma: quia posita suppositione eventus, dicit etiam primum, moraliter reddi impossibilem vitacionem alicujus peccati, quod non potest dici: quia quod est necessarium ex suppositione eventus, est necessarium necessitate metaphysica; quia quodlibet esse, dum est, est necessarium esse necessitate metaphysica. Jam autem omnis suppositio consequens, importat esse dum est.

Non

NON SATISFACIT 2. Quia quando dicimur ad aliquid habere non nisi gratiam sufficientem, non dicimur ad hoc habere impotentiam moralem, etiam si tunc sit suppositio non secutionis effectus. Ergo neq; in presenti resultabit impotentia moralis ex suppositione consequenti.

NON SATISFACIT 3. Quia vi hujus explanationis sufficit sola potentia physica ad actum liberum; quod alias impugnatum est.

Solvitur Principalis obiectio.

PRÆMITTO 1. *Quod ad vitandum peccatum debeat dari non tantum sufficientia physica, sed etiam moralis, sicut & ante dictum, quod Præmissi tenet etiam Esparza hic q. 3.*

RATIO Præmissi est. Quia si non daretur sufficientia moralis ad vitanda venialia; hoc ipso daretur necessitas moralis illa non vitandi; nam quando non sufficiunt vires, necesse est succumbere. Si autem est necessitas moralis peccandi, moraliter non peccatur, ut dictum in simili aliis. Deinde, quia si non haberet homo sufficientiam moralem ad vitanda peccata, defectus hic imputeretur divinæ sanctitati, & bonitati ejus: nam ad solum Deum spectaret illam gratiam conferre, & tamen illam non conferret. Cum hoc tamen stat, ut posita potentia physica ad vitandum; & posita etiam sufficientia morali, oriunda existis, quæ se tenent à parte Dei, adhuc tamen sit impotentia moralis, aliunde oriunda, quam impotentiam citatum Tridenti innuit. Ut autem explicetur, quomodo posita sufficientia morali, quam Deus offert ad vitanda peccata omnia, & in particulari venialia, adhuc sit impossibilitas moralis. Hinc

PRÆMITTO 2. *Virum cogitatio congrua sit debita ex natura rei saltem vagè alicui, vel aliquibus ex tota hominum multitudine, quam quæstionem proponit Esparza hic q. 5. & affirmat. Discursusq; tali explicat.*

SUPPONIT 1. Quod in qualibet multitudine causarum æquè aut ferè indifferentium ad utramq; partem contradictionis, aut contrarietatis, est magis probabile, futuram esse quamlibet difformitatem determinatè sumptam, quam totalem omnium uniformitatem. Cujus rationem dat; quia uniformitas totalis habet plures causas adæquatas, quarum quælibet se solâ possit illam impedire, quàm difformitas: totalem enim uniformitatem potest impedire se solo, quilibet binarius contentus in collectione. Jamq; erit impedita totalis uniformitas, at difformitatem omnium, nulli duo possunt impedire se solis.

SUPPONIT 2. Probabilius esse id impediendum esse, quod habet plures causas adæquatas impeditivas sui: quia quælibet causa æquè indifferens ad impediendum aliquid, fundat spem, quod impediatur aliquid: reddit enim verum

hoc judicium, fortasse impediatur. Ergo si illi causæ addatur alia similis potens impedire, crescit probabilitas. Inferiturque exinde minus probabile id esse futurum, quod est magis probabile, impediendum esse: quia major probabilitas unius partis contradictionis, est per se ipsam minor probabilitas oppositæ partis: Consequenter minus probabile est futuram esse uniformitatem, quàm difformitatem.

SUPPONIT 3. Quo numerosior fuerit multitudo individuorum æquè indifferentium ad utramq; contradictionis partem, eò fore minus probabilem uniformitatem inter illa, quia sunt plures causæ sufficientes ad impediendam uniformitatem. *His suppositis*

Dicta sic ad præsens applicat. Multitudo hominum à principio ad finem usque mundi est propemodum infinita, nec illis potest negari differentia ad operandum malè vel bene. Unde sequitur fuisse moraliter impossibile per se, & ex natura rei, ut omnes homines, nullo profusus excepto, convenirent inter se in operando bene, aut in operando malè; quod autem est moraliter impossibile perfectè & suprema impossibilitate morali, qualis est hæc de qua hic, nunquam id contingit. Igitur Deus non prævidit ullam hominum collectionem a qualet multitudini hominum defacto existentium, quæ sit &c. &c. conformis aut in operando bene aut in operando malè. Consequenter non prævidit aut totam collectionem semper cum cogitatione congrua, aut totam & semper cum incongrua. Ergo congrua cogitatio est innegabilis vagè toti hominum collectioni, ac proinde non habet rationem gratiæ superadditæ, vel respectu creationis, vel respectu elevationis. Hocq; totum ulterius confirmat: quia PP. interrogati, cur Deus non impederit omnia peccata Angelorum & hominum, respondebant, quia id facere non potuit salvâ illorum libertate. Ergo nec potuit salvâ libertate impedire in omnibus opus bonum, adeoq; negari omnibus cogitatio congrua. Et dum August. tenet non permissurum fuisse Deum peccata, nisi fuisset ex illis collecturus bonum, hoc ipso supponit Deum nulli collaturum fuisse cogitationem incongruam, nisi eidem vel alteri collaturus fuisset cogitationem congruam. *Sed hæc quæstio est extra*

NON SATISFACIT. Tum quia Aug. dictum conversionis, & ipsam conversionem rejicit ultimò in latens consilium, & voluntatem divinam. Non ergo rejici debet in aliquibus natura rei, & in aliquid saltem vagè debitum naturæ. Tum quia. Si error est Pelagianorum meritis naturalibus deberi Beatitudinem supernaturalem, nec dicet Esparza, illam saltem vagè deberi naturæ rationali, ita nec debet dici vagè esse debitam gratiam supernaturalem creaturæ intellectuali. Quod ipsum ulterius

hoc resolvitur; quia Ens supernaturale, nulli substantiæ creatæ vel creabili debetur. Tum quia. Quod dicit non prævideri à Deo uniformitatem, circa actiones causarum indifferentium, vel id accipit de statu conditionato, vel de absoluto; non de conditionato: quia sicut in statu conditionato prævidetur impenitentia finalis Judæ, ita prævidetur impenitentia finalis S. Petri in alia Hypothesi, & utriusque etiam poenitentia: nullus enim est quem Deus salva libertate non posset salvare, consequenter nullus est, qui non prævideatur sub conditione consensurus. Unde dicit Aug. quod Deo efficaciter salvare volenti, nullum hominum resistit arbitrium; prævidetur ergo etiam uniformitas in statu conditionato. Ergo & pro statu absoluto prævideri potest. Quod autem defacto pro statu absoluto non prævideatur, id referri debet in Dei iudicia, dum pro singulis eligit pro statu absoluto gratias efficaces, permittitque peccata. Categoricè autem ad dicta Esparza dici potest; quod causæ indifferentes potius difformiter agant quàm uniformiter, si in actione illa sua, non pendeant aliunde à selectione, quam ponat voluntas superior, secundum quam prævidebuntur absolute uniformiter, vel difformiter operantes: quia verò in habendo auxilio congruo pendemus à determinatione divina seligente auxilia, fit, ut à voluntate ejus pendeat conformitas, vel difformitas agendi.

PRÆMITTO 3. *Quamvis nulli naturæ etiam vage sit debitum auxilium congruens; nihilominus illud dare Deum pro suo placito.*

RATIO. Quia cum non conferat illud natura, & tamen conferatur, debet illius collatio in Deum referri.

PRÆMITTO 4. *Quo sensu hæc propositio non sit accipienda: sine speciali gratia non potest homo abstinere ab omnibus omnino venialibus.* Certum est non esse hunc sensum, quod homo non habeat physicam potentiam ad abstinendum ab omnibus venialibus; quia aliàs neque cum auxilio specialiter collato posset id præstare; quia auxilium non confert potentiam physicam, sed supponit. Nec facit hunc sensum, quod, Deus non det sufficientes vires ad abstinendum ab omnibus: quia aliàs in abstinentia ab omnibus non esset homini imputabilis, si quidem non haberet vires sufficientes ad hoc faciendum; nec posset Deus nobis promulgare: Abstineret etiam ab omnibus venialibus peccatis: facilis enim esset promulgationis cassatio, vires non habemus. Imò aliàs ultimò ratio peccati venialis, tanquam in causam deberet in Deum referri. Dari sufficientem gratiam ad vitanda omnia venialia, innuit Suar. etiam lib. 9. de Grat. c. 8. n. 13. ubi assumit hanc propositionem: Negari non potest, quin omnes homines iusti habeant sufficiens auxilium ad vitanda omnia ve-

nalia peccata. Sed n. 17. videtur oppositum innuere. Qui tamen diceret ad vitandam totam collectionem venialium non dari sufficiens auxilium, sed non nisi ad singula, per hoc se tueretur, quod cum non tota collectione commissi, sed uno v.g. peccetur veniali, vel tot ex collectione, sufficit, quod ad illud unum in particulari habeat gratiam, possibilitatemque moralem.

PRÆMITTO 5. *Quis sit sensus dictæ propositionis.* Completur ille ex duobus, & ex istis; quæ se tenent a parte Dei, & ex istis quæ se tenent a parte creaturæ. Loquendo circa ista quæ sunt a parte Dei, sequitur quod quamvis Deus det auxilium sufficiens ad vitanda omnia collectivè peccata, quod fecerit tamen decretum de non dando auxilio congruo & efficaci ordinariè; & ut plurimum. Loquendo autem de istis quæ se tenent a parte creaturæ, est inclinatio nostra ad malum, inclinatio item ad sensibile, & hoc est a parte voluntatis; a parte autem intellectus cæcitas & inapplicatio. Ex his autem duobus, principalius, dicit impotentia illa moralis hoc secundum: cur scilicet ordinariè, & ut plurimum cadatur in venialia. His autem duobus positis, salvatur imprimis quod liberè peccemus: quia datur nobis a parte Dei gratia sufficiens ne peccemus. Oramusque ne unquam peccemus venialiter; salvatur etiam impotentia moralis: quia scilicet in illis semper, & facillimè delinquitur saltem sub disjunctione, nisi adsit specialis gratia Dei. Jam autem talia moraliter dicuntur esse impossibilia, quorum opposita semper saltem sub disjunctione & facillimè fiunt. *Hæc positis directè ad Argum.*

RESPONDERI potest. Concedendo suppositionem, videri nempe à Deo certum numerum, in quorum aliquo determinatè sumus peccaturi venialiter. Proposito autem à Ripalda Argumento, Neganda Minor. Probatio illius distinguitur; qui potest vitare primum, potest vitare moraliter secundum, hoc est, habet vires sufficientes, ut vitet Conc. propositionem, potest vitare, hoc est, est vitaturus & a parte sui non dat fundamentum moraliter inferendi, quod non sit vitaturus. Nego. Quod attinet ad Paritatem de sole. Paritas non tenet: quia in illo non est potentia indifferens ad illuminandum, non sunt occasiones non illuminandi; invitamentaque ne illuminet, valdè affectiva &c. similia. Consequenter nec habetur fundamentum determinandi quod moraliter loquendo non possit cras illuminare. Secus autem habet voluntas creata.

Ad Argumentum prout proponitur ab Ovièdo. Idem tenendum. Non minus est liber in tertia die, quàm in antecedentibus, hoc est, habet etiam gratiam sufficientem, etiam in tertia die ne peccet, Conc. non minus est liber, hoc est, æque est habiturus gratiam congruam, & a parte sui non dat fundamentum, quod non sit vitaturus. Nego.

(X)

Addo.

ADDO. Quando dicitur. Sine gratia speciali non est possibile moraliter hoc vel illud facere, non isto sensu est accipiendum quasi, hic intelligatur gratia efficax: quia aliàs etiam in aliis materiis qui illà careret, haberet impotentiam moralem; quod non videtur coherere edicto Innocentii: Quod Justis volentibus, & conantibus non sint aliqua Dei praecepta impossibilia; essent autem impossibilia: quia etiam justis volentibus & conantibus non semper datur gratia efficax. Sed dicta phrasis secundum hunc sensum accipi debet, qui jam adlatus; quod scilicet non fecerit Deus decretum de danda efficaci gratia, ad omnia vitanda venialia, & ex altera parte nos semper in illis delinquimus, & facillimè. Ista autem quæ semper & facillimè fiunt ab omnibus saltem sub disjunctione, moralem impotentiam inferunt ad oppositum.

Ex his autem. COLLIGES. Cum impotentia non peccandi compleatur per nos debilitate & fragilitate nostra, quæ non importat ullam antecedentem necessitatē metaphysicam, hoc ipso ostendimus impotentiam moralem non metaphysicam. Nec item in nostris principiis sequetur, quod gratia sufficiens adferat impossibilitatem moralem: quia apud nos impossibilitas moralis non completur negatione securitatis effectus, sed potentia nostræ debilitate, inconstantia, & similibus.

DIFFICULTAS IV.

De necessitate Gratia ad Perseverandum.

ARTICULUS fidei definitus à Trident. sic habet Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit iustificationem, sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, anathema sit.* Fundatur hæc definitio Trident. in Locutionibus imprimis script. qualis est illa ad Philip. 2. *Cum timore & tremore, vestram salutem operamini: Deus enim est: qui in nobis operatur velle & perficere.* Similia sunt verba cap. 1. Ibidem: *Qui potest in vobis bonum opus perficere usque in diem Christi lesu.* Ergo apparet, quod hoc specialiter in Deum refertur debet: 1. ad Corinth. 1. *Gratias ago Deo meo &c. qui & confirmabit vos usque ad finem sine crimine.* Fundatur item in Auctoritate August. lib. de Bono Persev. cap. 8. 17. 20. de Prædest. lib. 1. cap. 7. & 8. de correptione & grat. cap. 11. & 12. de Nat. & grat. cap. 16. Lib. 53. Homil. 23. cap. 6. quæ & alia loca vide apud Suar. Lib. 10. c. 4. à num. 7. hoc posito.

QUÆRITUR I. *Quid à parte quasi nostra dicat perseverantia.*

ASSERO I. *Nomine Perseverantia venire durationem in gratia cum exercitio bonorum operum per longum tempus usque ad mortem.* Et hoc vocatur, perfectum perseverare. Hanc durationem non posse haberi sine speciali gratia, probant prædicta, rationemque assignat Suar. cit.

cap. 4. quia prædicta duratio dicitur declinationem à malo, & maximè fit in observantia præceptorum negativorum. Importat etiam exercitium bonorum operum supernaturalium necessariorum ad observantiam præceptorum affirmativorum. Tertium dicitur mors contingat. Quoad primum, est necessaria specialis gratia: quia illud præceptum, vel impletur negativè: quia scilicet occasio non fuit, nec suppositio mali; hoc autem refert Aug. homil. 23. citat Deum: *Hoc tibi Deus tuus dixit: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres, suaserat desistit; ut suaserat desisset ego feci, locus & tempus desunt, ut hæc desissent, ego feci.* Deinde hæc ipsa impletio negativorum præceptorum potest impleri positivè, vincendo positivè tentationem, & ad hoc requiritur gratia efficax quæ est donum speciale; secundum illud de exercitio bonorum operum dependet itidem à cogitatione congrua, quæ etiam est donum speciale. Tertium etiam pendet specialiter à Deo, ut mox ostendetur.

ASSERO 2. *Nomine perseverantia venire durationem temporalem in gratia per durationem tempus, quæ etiam non potest haberi sine speciali gratia.* Quod datur etiam temporanea perseverantia, innuit Christi locutio: *Qui perseveraverit usque in finem; quæ locutio non congruet, si non daretur perseverantia & non in finem.* Significat id etiam August. in princip. lib. de dono Persev. Quod autem hæc perseverantia temporanea non possit haberi sine speciali gratia Ratio est, quia hoc perseverare includit donum distinctum à gratia habituali, & gratiis ordinatis.

ASSERO 3. *Nomine Perseverantia venire durationem etiam paucum tempore in bono cui successerit mors.* RATIO: Auctoritas August. de Bono persev. c. 12. *Quis dicat illis non dari perseverantiam, qui agnoscunt corporis, vel quocunque casu moriuntur in Christo, quod longe difficilior donetur illis, quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo.*

ASSERO 4. *Nomine Perseverantia venire durationem succedentem non amissa gratia; quamvis illa non amissa non fuerit libera; & hæc etiam est speciale Dei donum, talis perseverantia est in adultis, si post datam absolutionem v.g. trahantur, & in pueris sine usu rationis decedentibus &c.* Quod nomine perseverantia etiam talis decessus veniat, innunt verba August. Asserto 3. citata. Deinde conjunctio finis vitæ cum gratia bene potest appellari perseverantia finalis, vel gratia finalis. Denique quia Antiqui Scholastici decessum parvulorum in gratia, & adultorum non distinxerunt. Quod autem etiam talis decessus sit ex speciali gratia probant imprimis universales locutiones quæ ostendunt perseverantiam usque in finem esse donum Dei. August. lib. de bono Persev. cap. 17. inquit, *Prode à veritate quam sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem.* Con-